



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE  
**BOLLETTINO**

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS  
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ  
BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ دار الصحافة التابعة للكرسي الرسولي

N. 190702b

Tuesday 02.07.2019

**Letter of the Holy Father to the special envoy to the celebrations of the centenary of the  
Coronation of the “Virgen del Rosario de Chiquinquirá”, Patron of Colombia (9 July 2019)**

On 25 June 2019 the Holy Father Francis has appointed (see *L'Osservatore Romano*,) His Eminence Cardinal Raymundo Damasceno Assis, archbishop emeritus of Aparecida, Brazil, as his special envoy at the celebrations of the centenary of the Coronation of the “Virgen del Rosario de Chiquinquirá”, Patron of Colombia, to be held at the National Marian Shrine on 9 July 2019.

The following is the Letter of the Holy Father to His Eminence Cardinal Damasceno Assis:

**Letter of the Holy Father**

Venerabili Fratri Nostro  
**RAIMUNDO DAMASCENO S.R.E. Cardinali ASSIS**  
Archiepiscopo emerito Apparitiopolitano

Suave omnino ac iucundum est praecipue celere Beatissimam Mariam Virginem, quae *astitit regina a dextris* Regis aetemi ornata auro ex Ophir (cfr Ps 45, 10). Ipsa enim *Christum concipiens, generans, alens, in templo Patri sistens, Filioque suo in cruce morienti compatiens, operi Salvatoris singulari prorsus modo cooperata est, oboedientia, fide, spe et flagrante caritate, ad vitam animarum supernaturalem restaurandam (Lumen gentium 61)*. Quapropter Nos laeto corde Mariali cultui favemus et ubique per orbem incepta ad Dei Genetricis gloriam augendam libenter sustinemus.

Huiusmodi autem pietatis in Dei Matrem peculiare monumentum est sanctuarium nationale in honorem Beatae Virginis Mariae a Rosario de Chiquinquirá in Columbia, a fidelibus catholicis aedificatum ac per saecula turmatim frequentatum. Quod templum, in dioecesi Chiquinquirensi situm et curae Ordinis Fratrum Praedicatorum commissum, a Decessore Nostro Pio XI Basilicae Minoris titulo honestatum, a sancto Ioanne Paulo II anno MCMLXXXVI invisum, miram imaginem custodit Patronae Columbiae, quam etiam Nos Ipsi duos ante annos magna animi commotione Bogotae venerati sumus.

Centum ante annos die IX mensis Iulii Praeses Columbiae Marcus Fidelis Suarez, adstantibus variis Episcopis et Nuntio Apostolico, Beatam

Virginem Mariam a Rosario de Chiquinquirá sollemniter Reginam Columbiae declaravit et pulchra eius imago est coronata pretioso diademate, quod a Summo Pontifice ante concessum et benedictum erat, quare prorsus iustum videtur hanc commemorationem esse agendam, praesertim quoniam eodem tempore bicentennaria recurrit celebratio independentiae Columbiae.

Cum autem nuper accepimus notitiam de memoratae imaginis Beatae Virginis Mariae coronationis fausta centenaria recordatione petitionemque debite translata a Venerabili Fratre Aloisio Mariano Montemayor, Archiepiscopo titulo Illicitano atque Nuntio Apostolico in Columbia, ut Patrem Purpuratum mitteremus ad memoratum iubilaeum sollemniter celebrandum, Nos ad te, Venerabilis Frater Noster, qui tot per annos cotidiana actuositate Brasiliensis populi devotionem Marianam promovisti in celeberrimo sanctuario Apparitionopolitano et pro universalis Ecclesiae bono assiduam te conformasti Domini Iesu ministrum et Romanorum Pontificum cooperatorem, fidentes recurremus teque his Litteris **Nostrum Missum Extraordinarium** ad memoratam celebrationem constituimus.

Quapropter die IX proximi mensis Iulii liturgicis celebrationibus Nostro nomine praesidebis Nostramque omnibus significabis salutationem. Populum hortaberis ad assiduam rosarii precationem et constantem erga Sanctam Dei Genetricem devotionem, ut ipsa ei a Christo Domino rectam vitam, altissimam erga divinam legem reverentiam, sinceram caritatem, pacem, reconciliationem, ignoscendi facultatem, serenam cum aliis hominibus consuetudinem christianaeque fidei tutum obtineat emolumentum.

Denique Benedictionem Nostram Apostolicam imo ex corde tibi impertimus, Venerabilis Frater Noster, dilectis quoque Pastoribus et christifidelibus illic congregatis, civilibus Moderatoribus, cunctis faustum hunc eventum participantibus universaeque dilectae Columbiae Nationi peramanter dilargiendam.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXV mensis Iunii, anno 1919, Pontificatus Nostri septimo.

Franciscus

---